

folet, vel brevis mora aliquam miseris oppidanis pareret
calamitatem. Præfectus, ne deditorum fortunam prodere
videretur, continuo pecunias legato expedivit, quas Jaco-
bus Spiritellus Belunnensis, homo inter suos populares
prædives, barbaro gratificaturus numeravit. Tria millia
circiter & quingentos aureos nummos Seravallum missos
scribit Chinatius, quibus militi datis, arx restituta est.
Eam confessim Liopoldi præsidium iniit.

Hæc in Taurisini gerebantur: quum Veneti (quia fa-
ma erat, Ligures numerosam classem comparasse, ac nu-
per illam domo profectam) veriti ne longæ naves quas
ab initio veris in Cretam Simoneto Præfecto miserant, ab
hoste subito incursu opprimerentur, octo validas triremes
instruunt, instructas Zenus, cui maris imperium in annum
fuerat ab initio decretum, in altum educit. Primo igi-
tur, ut jussus erat, in Cretam ad suos tuendos cursum in-
tendit. Sed dum Dalmaticam oram legit, ad duodecim
Illyrici nominis navigia obviam facta oppressit, oppresa-
que, sublatis rebus, concremavit: nec multo post in Pelo-
ponnesiaca ora onerariam Ligusticam, preciosa merce re-
fertam, quam postea in Cretam misit. Inde ipse ad Ma-
leam promontorium confedit, ubi classem ex Creta ve-
nientem expectare constituit. Simonetus paucis post die-
bus cum decem longis navibus huc venit: has reliquæ
non multo post secutæ, ita ut paucis diebus unius & tri-
ginta triremium numerus sit expletus. Et quia constans
fama erat, unam & viginti hostium naves esse quæ appro-
pinquare dicebantur: statuit Zenus, quinque navibus cum
merce ad Methonem relictis, ipse cum reliquis instructis
ad hostem ire. Biduo postquam profectus est, ad Juncum
Ligusticam classem adeptus, quia pugnam hostis detrecta-
vit, toto die frustra insecutus est: ad vesperam, jam se
tenebris intendentibus, hostis ex oculis evanuit. Venetus
Anconem usque progressus decem triremes ad præsidium
urbis mittit: ipse cum cætera classe ad Liguriæ oram
vastandam ire constituit. Omni itaque Hadriaci, Ionii,
Tyrhenique maris tractu prospero cursu emenso, ubi ho-
stium

*Carolus Ze-
nus in ora
Inferi maris
hostes fru-
stra insequi-
tur.*